12

DE LAUDIBUS

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI

JACOBI MONICI

PATRIARCHAE VENETIARUM

INTER PATRES S. R. E. CARDINALES

SUMMA UNIVERSORUM ORDINUM GRATULATIONE

COOPTATI IV. KAL. SEXTILES. A. M. DCCC. XXX. III.

ORATIO HABITA

AB ILL. ET REV.

SEBASTIANO SOLDATI

TARVISINORUM EPISCOPO

DUM IN AULA MAGNA SEMINARII DIOECESIS SUAE

HERMA EJUSDEM PRINCIPIS

PRIMUM PONERETUR.

MDCCCXXXIII.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. D.

JOANNI ANTONIO FARINA

EPISCOPO TARVISINO

Tibi, Amplissime Praesul, Tarvisinae Dioecesi appropinquanti, quae nova tuo adventu hilaritate coruscat, animus quoque noster obvius venit, seque erigit atque exultat in te brevi optatam requiem et dulce praesidium habiturus. Nos enim ad Clericos Tui Seminarii pietate et studiis erudiendos assidue intenti ut digni fiant qui olim divini Ministerii partes explere valeant, Tibi propius accedere arbitramur, atque in certam spem adducimur haud unquam fore ut nobis praecipue sollicitudinis Tuae Tuique consilii paterna officia desiderentur. Atque ut animi nostri exultatio aliquo declaretur signo, hoc Tibi libellum offerimus, quo nil profecto carius nos habere fatemur. Continet enim orationem celeberrimam, quam Sebastianus Soldati *Episcopus noster in aula hujus Seminarii habuit anno* MDCCCXXXIII,

quo scilicet Seminarienses justa diffusi laetitia diem solemnem agebant, et Jacobo Monico *S. R. E. Cardinali renuntiato summopere gratulabantur. Quae cum de laudibus illius amplissimi Viri disserat, qui quondam hoc ipso in loco munus instituendae juventutis summa laude obierit, cumque ab illo nostro conscripta sit amantissimo Patre atque optime de nobis merito, cujus erga nos singularem benevolentiam nulla unquam delebit oblivio, rem nostram fere totam esse duximus, et tamquam rem nostram Tibi libentissime dicamus. Defunctum Episcopum quodammodo invocavimus, ut Ille Tibi pro nobis occurreret, et qui nobis essent animi sensus, illius quasi voce Tibi proferrentur. Inde fit ut cujus in locum succedis, quemadmodum pari dignitate atque honore refulges, ita illi fraterno quodam foedere*

conjunctus videaris. Hac igitur cogitatione hunc veluti florem ex defuncti Episcopi tumulo colligendum putavimus, ut novum Antistitem adornaremus.

Praecamur denique AEternum animarum Pastorem J. Christum, ut Tibi felix faustumque regimen concedere velit, Teque rogamus, ut ex eo quod proferimus multa, quae intus condita servamus, conjectura perspicias.

Tarvisii. XV. Kal. Mart. MDCCCLI.

Obsequentissimi et devotissimi
TUI SEMINARII
MODERATORES ET PRAECEPTORES

ORATIO



Credo equidem plerosque futuros, qui jure mirentur quid sit cur hodie in hac doctissimorum hominum frequentia, et ex hoc amplissimo loco praeter consuetudinem ego dicere aggrediar, qui longe gravioribus functurus ministeriis aliquot abhinc annis amoenissima musarum studia, academicasque exercitationes mihi omnino reliquendas putavi; hi vero sileant Professores qui me circumstant, eloquentiae laude praestantes, atque hujus bonarum artium domicilii ornamenta et decora; qui sane pro loci ac rei dignitate egregie dicere potuissent. At quicumque secum animo reputet quis hodie Vir sit nobis laudandus, quo in loco praeclara ejus merita sint commemoranda, quaeve cum illo ac Seminariensibus nostris vetus intercedat consuetudo; nemo unus erit, nisi fallor, qui Eum ab exteris potius, quam a domesticis commendari oportere non fateatur. Is enim marmoreus Herma quem intuemur, haud ita pridem a clarissimo Veneto artifice elaboratum, atque ad Seminarii decus perpetuo mansurum, unumquemque vestrum monet laudes modo esse dicendas Eminentissimi ac Reverendissimi Principis Jacobi Monici Patriarchae Venetiarum, inter amplissimos Patres S. R. E. Cardinales nuper

cooptati; ejus inquam, qui hac ipsa in aede altus olim et educatus, humaniorum litterarum studia mirifice coluit; qui magisterii sui dignitate rei nostrae litterariae sic profuit, ut Ipsi in primis Seminarium hoc paene omnes referat acceptos quos modo habet Professores industrios; qui germanae eloquentiae ac poesis praecepta auditoribus suis sic tradidit, ut temporibus turbulentissimis atque artium gloriae infensis aetas aurea scholis nostris visa sit illuxisse; qui aedis hujus famam ac decus majorem in modum auxit et propagavit; qui litteratorum hominum aures animumque detinuit tum soluta, tum adstricta numeris oratione; qui demum ingenio, scriptis, auctoritate apud viros summos sic floruit, ut quidquid splendoris, gratiae, existimationis haec postmodum domus consequuta est, ejus praesertim laboribus, vigiliis, curis, ac praeceptionibus se omnino debere videatur. Quod si praeceptoris laus cum discipulorum praeconio sic conjuncta est, ut altera ab altero aut nullo modo, aut vix sejungi queat, quippe cum communi ac prope necessario vinculo nexa sit; nemo non videt quam sapienter factum sit, ut nullus ex his, qui tamen apte, ornate, et eleganter de Viro tanto dicere potuissent, laudatoris Ejus officium in hac luce suscipiendum sibi arbitraretur.

Mihi contra Euganeo jam orto sub coelo, ut omnibus constat, Tarvisinaeque civitatis jure paucis tantum abhinc annis donato, cui nulla fuit unquam cum Eminentissimo Monico sive contubernii seminariensis, sive studiorum, sive magisterii societas, ac communio; mihi, inquam, in Ejus laudatione libertate illa uti licebit, qua discipuli praeceptoris sui merita dicturi omnino caruissent: ex quo fit, ut quamvis multa de Eo hodie sim narraturus, nemo jure suspicari possit me quidpiam vel ad gratiam finxisse, vel in gloriam meam Monici laudes redundare. Illud pariter accedit, quod Is, cui amplissimam gratulamur adeptam dignitatem, si primam Ejus spectemus originem, ad hanc Tarvisinam pertinet Ecclesiam; cujus in gremio, a minoribus exorsus

ordinibus, sacerdotali auctus fuit potestate, atque a Praecessoribus meis seminariensium Professorum numero adscriptus, tutissimam hic ad honores summos viam sibi communivit: unde merito videtur neminem fortasse magis decere, quam me Tarvisinis sacris modo praefectum in Viri praeclarissimi laudes excurrere, atque in hac auditorum frequentia Ei publice gratulari, qui jam ex subdito ac filio Pater ac Patronus Dioeceseos maternae suae cunctis plaudentibus evasit.

Hisce de causis, etsi plane intelligam quantum oneris ipse mihi imposuerim; desiderio tamen vestro satisfaciam, Professores clarissimi, qui me reluctantem ac merito pertimescentem ad hoc laudationis officium suscipiendum multa prece compulistis. Hoc autem ideo fateor me esse facturum tum ut singulis pateat quo prosequar obsequio Principem omni laude dignissimum, deque re nostra litteraria optime meritum, tum ut Dioecesis nostra intelligat quae mea sit in Seminarium (quo certe nil potius Episcopo esse debet) voluntas, observantia et affectio. Vos interim etiam atque etiam oro obtestorque, magistratus integerrimi, civitatis Tarvisinae praesidia et decora, Teque in primis, Vir Clarissime, qui Caesaris nomine huic praees provinciae, vosque Professores egregii curarum mearum levamen ac solatium, vosque demum Auditores, quotquot estis ingenio, litteris, nobilitate spectatissimi, ut me dicentem de laudibus Praesulis non modo municipio huic nostro, sed vel ipsis viris principibus probatissimi, attente, bonaque cum venia audiatis. Hoc onus si vos benevolentia vestra allevabitis, dubius licet ac timens feram ut potero; perficiamque ut intelligatis, Jacobum Monicum tum ob exculti laudem ingenii, tum ob singularem morum integritatem suavitatemque plane dignum fuisse, qui ad honores maximos eveheretur. Illud demum restat, ut vel ipsum sermonis genus quo in dicendo usurus sum, quemadmodum spero, probetis: quippe cum vobis doctissimis persuasum

esse debeat, nullum aliud eloquium praeter Romanum decere Episcopum de Romano Principe in Seminario suo verba facturum.

Cum omnia spectanda sint, plurimique facienda munera, quae pro infinita sua in homines bonitate largitur nobis D. O. M., opes scilicet, amicitiae, gloria majorum, antiquitas generis, ceteraque his similia, quae ad felicitatem promovendam in terris maximo esse solent praesidio atque adjumento; tum omnium praestantissimum est ingenium, quo praeditus adolescens viam sibi sternit ad quaslibet disciplinas felici ausu excolendas, multiplici ditatur eruditionis fructu, inter coaevos et aequales excellit, ad grandia tendit, ac famam sibi comparat nominis sempiternam. Jam vero quisquis ille sit, qui ingenio pollet experrecto, solido, exculto; quaenam, quaeso vos Auditores, a natura objecta metuat impedimenta? Num fortunarum paucitatem? Minime vero: nam historia testis temporum, vitaeque magistra monet, plurimos fuisse homines, qui cum rei familiaris angustia premerentur, unius ope ingenii, litterarumque vel artium cultura, magnas sibi divitias pepererunt: quo in numero insignis occurrit menti meae Antonius Canova, provinciae hujus decus, qui eximia sculpturae peritia avitum sic auxit patrimonium, ut illud a fundamentis excitare potuerit templum magnificentissimum, quod in Possaneensi culmine situm Dioecesim hanc nobilitat majorem in modum. Num generis humilitatem? Nequaquam: innumeri enim ii sunt homines, qui cum ex obscuro loco ac gente profecti fuissent, ipsi sibi doctrinae atque eruditionis praesidio eam adepti sunt nobilitatem, quae una maximi facienda est: cum non ab arbitrio sortis, sed ab admirabili pendeat splendore virtutis. Quis porro nomina non novit Benedicti XI, Sixti V, Clementis XIV, plurimorumque Patrum Senatus Apostolici, qui felicissimo ingenio suo acceptam retulerunt dignitatem, quam orbe toto plaudente sunt consecuti?

Eadem itaque ingenii dote MONICUS exornatus, illud ab ineunte adolescentia sui specimen exhibuit, ut jam tum facile cognosci posset qualis progressu temporis esset futurus. Perspicacissimo scilicet ditatus intellectu, judicio pari, foecunda imaginandi vi, memoria prompta, quam celerrime prima didicit disciplinarum rudimenta, praesertim vero latini sermonis praecepta, quae ruri (1) docentibus tribus curionibus industriis ipsi tradita sunt. Utque aspectus coeli rubescentis, sub ortum solis, diem pollicetur nubium expertem ac plane serenum; sic ea quae in MONICO adhuc puero apparebant indicia intelligentiae ac virtutis magna in posterum de illo praenuntiabant. Et sane necessariis latinae linguae studiis, uno duce Cicerone, (ut tum erant tempora) laudabiliter assidueque incumbens, brevi sic profecit ut aureorum scriptorum mentem assequeretur, emendateque scriberet: unde optimum factu visum est parentibus ac magistris nobilem hanc arborem pulcherrimos germinantem flores in latiorem campum transferre, ubi fructus naturae suae congruentes, optimos scilicet ac perfectissimos, felicius edere posset. Quapropter cum eo ventum esset, ut MONICUS amoenissimis Humanitatis studiis jam operam daret, quae animum mirifice exornant, germana solidâque imbuunt cultura, gustum moderantur perficiuntque, atque ad severiores disciplinas addiscendas intellectum rite disponunt; traditus fuit Seminario nostro (2), ubi Professores clarissimi semper floruerunt, et ipse Ubaldus Bregolinus, Novalensis coeli sidus nobilissimum (quem honoris causa nomino) haud ita pridem multis editis ingenii documentis, nomen suum immortalitati commendarat.

Jam vero dexteritati MONICI, Humanitatis limen primum ingressi, quae par oratio inveniri potest! Felicem de se spem jamdiu praeconceptam non modo aequavit, sed vicit: adeo sollers fuit, promptus, ingeniosissimus! Auditis enim praeceptis, quibus ars nititur bene dicendi, cognitisque scriptoribus Graecis, Latinis, et Italis, ad illos studiosa imitatione assequendos feliciter

exarsit. Illum itaque mihi videor cernere, praeceptore suo praeeunte, modo elegantissimas Marci Tullii Ciceronis orationes degustare, modo facundis Titi Livii concionibus aures praebere, modo flexanimos P. Virgilii Maronis audire cantus, atque epicae clangorem tubae, modo sonitum vehementer mirari, qua Flaccus merito habetur insignis. Quis fuit tibi sensus, Vir egregie, cum Romanae eloquentiae principem audires sententiarum pondere, figurarum varietate, verborum copia populi motus, judicum religiones, Senatus gravitatem pro libito suo convertentem? Quomodo commovebaris, cum, duce Virgilio, Orphaeum sequereris amissam Eurydicem necquicquam reposcentem? Quo affectus fuisti miserationis sensu, cum prope divino concinente Aligherio, Ugolini casus acerbamque fortunam flebilibus expressam numeris, grandique carmine adumbratam, quasi ante oculos positam contemplareris? Qua demum incredibili suavitate animum sensisti perfundi, cum dulcissima Francisci Petrarchae epigrammata memoriae mandares? Quemadmodum, ni fallor, Auditores, silice percussa, rapidus erumpit ignis, crebraque inde exiens scintilla latam propagat flammam, quae aridis lignis enutrita succrescit, atque undique serpens omnia permeat, calefacit, incendit; sic Graeca, Latina, et Itala exemplaria generoso juveni ad imitandum proposita, illum sic inflammarunt, ut nil potius atque adeo dulcius haberet, quam ut eorum perfectionem quo propius fieri posset, assequeretur. Hinc MONICUS supra condiscipulos longe multumque excellere: hinc uberioris fructus spem in diem praeseferre: hinc ab Scriptoribus aureis selectiora quaeque loca adnotare, mirari, in usum suum decerpere: hinc ea carmina conscribere, quae non modo praeceptori suo, sed vel ipsi Viro doctissimo, qui studia nostra adhuc moderatur, Julio Trento Scriptori eximio atque hisce similibus maxime probarentur.

Quamvis autem in humanioribus litteris addiscendis MONICUS vere excel-

fuisset, satis tamen intellexit qua semper fuit ingenii dexteritate, modicam se laudem consecuturum, nisi litteraturam cum sapientiae studio conjungeret. Didicerat enim a Tullio nihil vilius excogitari posse inani verborum vel optimorum strepitu, cui nulla sit subjecta sententia. Didicerat a Flacco res ab Socraticis chartis esse petendas, cumque merito contemni poetam, qui posthabita philosophia, auditorum aures fatigat inconditis versibus ac nugis canoris. Quapropter etsi MONICUS vehementissimo teneretur litterarum amore, easque postmodum profiteri omnino statuisset; tamen sedulam navavit operam studio sapientiae, quae Tullio teste, *in scientia sita est rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hae res continentur.* (Cic. de Officiis. Lib. 3. § 2.) Quibus disciplinis dum more suo diligentissime incumberet, omnibus compertum fuit, qua ingenii vi praeditus esset. Illud fit saepenumero, Auditores, ut adolescentes qui in litteris humanis excelluerant, ac magnum aliquid de se polliceri videbantur, parum in iis proficiant facultatibus, quae mentem rectam, judicium acre, animumque pacatum prope suo jure postulant. At secus accidit in MONICO; cui cum semper fuisset intellectus ab omni erroris nube remotissimus, eaque vis ratiocinandi, quae phantasiam coerceret, ejusque ausus sapienter moderaretur; idcirco in ampliorem, ut ita dicam, palaestram translatus, uberrimos diligentiae suae fructus visus est retulisse. Philosophico expleto tyrocinio, tum ex instituto loci, tum ex vehementi quo flagrabat coelestis sapientiae amore, ea ingressus est penetralia, ubi Theologia, divina nixa auctoritate, vel altissima proponit mysteria contemplanda, quae humanae mentis imbecillitatem superant, uniusque revelationis subsidio cognosci possunt; vel praecepta tradit moribus componendis accomodata, ut moniti homines discant vitia fugere, virtutem sequi, ac perpetuo mansuram quaerere felicitatem. Praeclarum sane studium, iisque viris maxime necessarium, quibus ex officio cura incumbit edocendi populos,

atque perditos quosque errorum magistros refellendi. Qua ex re cum aeterno decreto suo Deus constituisset, ut MONICUS volventibus annis catholicae Fidei Magister, propugnator veritatis, Ecclesiae columen esset futurus; eapropter eum Sacrae Theologiae discendae in ejus animo accendit amorem, ut confecto curriculo, potuerit (ut tum erat mos) in aciem prodire, quaestiones aliquot ex sacris disciplinis excerptas strenue propugnare, earumque veritatem aptis argumentis (3) contra arguentium cavillationes et sophismata tueri.

His cumulatus meritis dignus visus est MONICUS, qui Seminariensium praeceptorum collegio adscriberetur. Quod ut ad hujus loci decus et utilitatem fieret, Tu ceteros omnes (4) praeivisti sapientia ac consilio, Vir gravissime, qui hic ades, ac studia nostra pluribus abhinc annis sic moderaris, ut perspectis juvenum ingeniis, optime scias quid muneris unicuique sit tribuendum. Tibi itaque, ut cetera beneficia praeteream, quibus hanc cumulasti aedem; Tibi inquam hoc potissimum debemus, quod MONICUS inter praeceptores nostros recenseretur, minorumque litterarum magisterio per annos aliquot perfunctus, Humanitatis primum, deinde Rethoricae cathedrae civium omnium consensione praeficeretur. Hoc scilicet tum Ipsi, tum Seminario Tarvisino eam peperit nominis famam, quam nulla obliterabit aetas. Hoc adeptarum postea ab eo dignitatum semen veluti quoddam atque initium fuit. Hoc scholis nostris, universae civitati, ac litterariae reipublicae praeclaros educavit alumnos, qui admirabilem in docendo peritiam sui praeceptoris testantur. Ut vero quisque vestrum, Auditores, intelligat, quantum MONICO Rethoricam profitenti hoc tribuat domicilium, sinite, quaeso vos, me de turbulentissima illa tempestate (5), qua Ipse docendi munus aggressus est, pauca praefari.

Illud inter viros doctos satis constat, cum respublicas et imperia, tum litteras et artes communem habere fortunam: ita ut si quando fiat, ut ardor

civium jubentium prava illa oppugnare, ac labefactare conetur; hac quoque plurimum detrimenti patiantur. Jam vero quae sub exitum Saeculi decimi octavi vesana novitatis cupiditas tot impulerat gentes, ut rerumpublicarum regnorumque sapientissima everterent instituta; sublatisque legibus, quas majorum sapientia condiderat, omnino vellent latissimam ubique procaci libertati patere viam; eadem litterariam rempublicam vel in hac ipsa florentissima Italiae provincia exagitavit, afflixit ac miserrime turbavit. Dato belli signo, Scriptores audaces prodiere (quorum aliqui doctrinae atque eruditionis laude sane praestantes), qui novarum rerum cupiditate illecti, optimos quosque auctores, qui semper in scholis dominati fuerant, maledictis lacesserent et injuriis, ac minime dignos praedicarent, quos studiosa juventus per tot annos veluti exemplaria probatissima sibi ad imitandum proponeret. Hinc brevi factum fuit, ut Tullius, Livius, Virgilius, Horatius aliique ex latinis, et Bocaccius, Aligherius, Petrarcha ex nostris, ab litterariis ludis quasi pellerentur: perinde ac si inopes rerum, frigidi, jejuni, obsoleti habendi essent. Hisce itaque e solio turbatis, ubi veterum sapientia eos jure collocarat, commune erat usitatumque adolescentes cernere suae nescios utilitatis, diurna nocturnaque manu versare libellos vel Gallico sermone conscriptos, vel eo sermonis genere in Italicam linguam translatos, ut a pristina dignitate omnino deflecterent; plurimumque voluptatis capere ex eorum librorum lectione, qui, ut cum Horatio loquar, *ampullas* amant, et *sesquipedalia verba*. Illud porro accidit, ut quolibet fraeno sublato, pulchrum esset jus unicuique tribuere pro libito condendi vocabula plane nova, particulas, locutiones veteribus magistris nostris prorsus ignotas, eosque appellare scriptores omnium felicissimos, qui audacia ac libertate ceteros superassent. Cum vero eo res jam processisset, ut Itali ab Italis minime intelligi possent, visum fuit nonnullis ingruenti malo eo occurrere remedii genere, quod periculo non vacabat.

Etsi enim illud hominibus sanae mentis persuasum esset, teterrimam illam pestem, quam novitatis amor invexerat, quaeque Humanitatis studia turpissime contaminarat, depelli omnino non posse, nisi Scriptores aurei, patrii sermonis magistri ac duces eximii ad pristinam, unde exciderant, dignitatem revocarentur; attamen nemo unus erat vere prudens, qui existimaret optima esse quaecumque in auctoribus optimis occurrunt; omniaque ab iis scripta, ut ut inculta, vulgaria, sordida, obsoleta, atque ab usibus nostris longe remota, in eorum obsequium esse renovanda. At nescio quo litterarum fato, misero certo atque usque deplorando id contigit, ut dum ex nostratibus alii pro novitate starent et libertate Itali sermonis; alii contra sic veterum scriptorum auctoritati faverent, ut imitationem valde vitiosam inducerent, ac tum demum se optime dixisse arbitrarentur cum scripta sua puerilibus ornamentis, obscurisque vocibus replevissent. Quae cum ita se haberent, quid, quaeso vos Auditores, in hoc opinionum conflictu studiosa juventus faceret? quid consilii caperet? quorum partibus studeret? quam semitam eligeret? quorum sententiam tutius amplecteretur? Vidimus ipsi, vidimus, dum adhuc sub judice lis esset, alios ex Italis tyronibus periculosae abreptos novitatis amore, incondita scripsisse, obscura, barbara, jure irridenda; iisque imaginibus ac figuris stylum exornandum curasse, quae sylvestrem Orientis gentem, non ingeniosos cultosque Italiae populos decuissent. Vidimus pariter alios ad veterum litterarum instaurationem infelici ausu incumbentes, ac de uno sollicitos antiquarum vocum delectu, eo sermonis genere aures fatigare, in quo nihil esset roboris, nihil ponderis, nihil dignitatis.

Qua ex re cathedram Humanitatis ac Rethoricae perspectae Tuae debitam virtuti, conscende tandem, MONICE laudatissime; ac prope jacentem litteraturam sic releva, ut in scholis Tarvisinis per Te potissimum ad honorem statumque pristinum se gaudeat rediisse. Quid cunctaris, o felix musarum

cultor, *cui* (ut Flacci verbis utar) *ingenium est, cui mens divinior, atque os magna sonaturum?* (Hor. Lib. I. Sat. 4.) Cerne commilitones, ejusdem laboris et gloriae socios, qui, Te praeceptore, prospera quaeque Seminario pollicentur. Cerne generosae indolis alumnos, qui merito laetantur se Tuo instituendos fore magisterio. Cerne patriam, quae pignora dulcissima, spem sui honoris succrescentem, eo libentius tibi committit erudienda, quo clarior nominis Tui fama praecessit. At quorsum haec? Cur longo sermone moror Virum egregium jam urgentem opus praescriptum sibi, humanioresque litteras sic docentem, ut admirationi cunctis foret atque exemplo? Potius sit breviter meminisse, Auditores, qua methodo penitiores litteraturae aditus MONICUS recluderet adolescentibus discendi cupidis, dulcisque patrii sermonis dignitati consuleret: quod quomodo ipse praestiterit, paucis sic habete.

A Graecis latinisque litteris ratus sibi omnino esse exordiendum, in hoc praesertim incubuit, ut alumnis persuaderet ditissimum utriusque linguae thesaurum in probatis scriptoribus tantum reperiri: nefas esse quid vel minimum audere quo ad vocum proprietatem earumque juncturam, quod non ipsi docuerint: universae litteraturae, ut ita dicam, fundamentum in eorum scriptis situm esse: neminem demum ad laudem exculti ingenuique scriptoris contendere posse, quin in illorum voluminibus sic versatus sit, ut stylum, elegantiam, dignitatem, totamque scribendi rationem, qua ipsi usi sunt, quantum fieri possit, non sit assecutus. Ad Italos scriptores vero quod attinet, sapientissime MONICUS jussit commissos sibi alumnos ab auctoribus Saeculi decimi quarti, in quo (prudentum judicio) aurea sermonis nostri aetas est omnino collocanda, tum elocutionis praecepta, tum exempla sumere, quae in scribendo sequerentur: ita tamen ut linguae indolem, dictionis venustatem, verborum vim ac copiam, particularum pulchritudinem, periodorum structuram, figurarum varietatem ab iis potissimum petenda esse cognoscerent;

minime vero obscura ac plebeja vocabula, adagia minus propria, dicta vulgaria ac sordida, quae vel natura humana parum cavit, vel aetati sunt tribuenda, in qua ipsi floruerunt. Quapropter quotiescumque sese obtulisset occasio, ut philologorum more, discipulis ostenderet plurima quae vere nitent in auctoribus probatissimis, ut sollertiam in his imitandis excitaret; gravibus pariter verbis eos monitos voluit ut a vitiosa imitatione omnino caverent. Totus itaque in coercendo novitatis amore, ac circumscribendo certis finibus obsequio, quo scriptores veteres prosequi debemus; illud Ovidii, ut arbitror, saepe usurpabat: *Medio tutissimus ibis.*

Quis vero jure miretur JACOBUM MONICUM in praeceptis explicandis adeo ingeniosum fuisse, cum in elaborandis lucubrationibus suis, tum ligatis numero, tum solutis, omnium consensione, vere fuerit praeclarissimus? Nota loquor in conspectu horum civium, qui carminum ejus dulcedine ac suavitate illecti, toties hoc ipso in loco poemata ejusdem plausibus exceperunt, eique publice gratulati sunt: unde eo nunc me venisse sentio, ubi prope exultat ac triumphat oratio. Enimvero sic scribere, ut in inventione rerum usque niteat lucidus ordo: apte collocare, suoque quasi in lumine ponere verba, ut locum qui magis decet, sortiantur: adhibere prudenti consilio imagines ac figuras ubi plurimum splendoris orationi sunt allaturae: pingere res quasque coloribus iis, ut veluti praesentes quilibet sibi cernere videatur: uti semper eo styli genere, ubi nihil desit, nihil redundet: sequi in vocabulorum delectu proprietatem, elegantiam, perspicuitatem: amplificare sollerter adjuncta ea, quae plurimum faciunt vel ad attentionem excitandam, vel ad ciendos affectus: imitari scriptores veteres, quin vel recentiorum auribus sermo sit minus jucundus: celare tandem artificium ut nullibi ars, sed una tantum rerum parens atque effectrix natura se prodat: haec qui faciat, Auditores, non mediocri eum ac vulgari praeconio dignum, sed summis laudibus extollendum,

ac cum aureis scriptoribus prope comparandum esse existimo. Atqui talis viris sapientissimis MONICUS apparuit quandocumque scripsit. Ut placuit, dum divini Evangelii (6) praeco (hoc enim pariter apostolico ministerio pari cum laude ac fructu perfunctus est) in majore Urbis hujus Basilica, atque in proximis oppidorum pagorumve templis ad vitia fugienda virtutesque sectandas populum gravi ornatoque sermonis genere cohortaretur; aut Coelites facundo ore laudaturus, christianam gentem ad illos imitandos inflammaret! Ut placuit (7), dum jussus funebri oratione parentare Viris sacra dignitate praestantibus, aut eximio artifici Antonio Canovae, alteri aetatis hujus Phidiae, sic ab occurrentibus sese expediit difficultatibus, laudatosque eo extulit rerum verborumque splendore, ut si de postremo praesertim sermo habeatur, illud Plinii vere ac proprie usurpare potuerit: *Hic scilicet supremae illius felicitati veluti cumulus accessit, laudator eloquentissimus!* (Plin. Lib. 2. Ep. 1.) Ut placuit, dum patrii hujus Athenaei a secretis esset, quotiescumque in magna doctorum hominum frequentia litterarios Sociorum labores pro munere suo relaturus, eo artificii genere, eaque sollertia jungere ac nectere consueverat diversa quaeque, varia, atque adeo interdum opposita, ut altera ab alteris sponte sua proficisci viderentur! Ut placuit, dum patria festa solemnesque dies versibus exornaturus, tot Odas, Ælegias, Epigrammata, longioresque cantus (8) conscriberet, quos cives nostri exterique jure admirati sunt, citharaeque illius suavitatem serae testantur posteritati!

Quam sane citharam tum vati suo, tum Seminario huic perhonorificam ab ramis virentis lauri, musis sacrae, atque in hoc solo plantandae suspendi jubebo; ut si quando fiat, ut ventis agitata chordisque percussa suaviter murmuret, concentus hoc ipso in loco jam exauditos ac plausibus exceptos renovare videatur. Salve, o cithara, poetae tui comes fidissima, laetitiae origo, curarum levamen, domus hujus decus et gloria, atque iterum salve. Tu

scilicet es quae manu tractata experientissima, illos e nervis elicuisti sonitus, quos musarum alumni maxime probarent, atque ad veterum scriptorum laudem proxime pervenire arbitrarentur. Cum vero tuo contenta vate, a nemine prorsus contingi patiaris, jube modo harmoniam audiri, qua Silis ripas late replevisti; sive poeta tuus Maronis carmina Italice redditurus, Didonis miserae describeret affectus, ac funus defleret eo versus genere, quod, ut credo, vel ipse Torquatus epica insignis tuba, suum fortasse agnoscere non dedignaretur (9); sive Academi hortos ingressus, ac poeticos inde flores decerpere paratus, avium instinctum, naturam, pennas, volatus celeritatem pingeret, alituumque reginae plauderet, vel Phoenicem suo e cinere reviviscentem caneret: sive Graecos philosophos graphice descripturus, litterarios eorum ludos, doctrinas, instituta, sapientiam, erroresque detegeret; sive Italicorum poetarum magnanimos ausus, carmina, famam, variamque fortunam referret; sive Amoris cujuslibet affectus moderatoris ac principis omnipotentem vim, gloriam, discrimina, efficacitatem sublimi carmine celebraret; sive Graecorum poetarum res gestas ac praeclara opera exhibiturus, Homeri, Pindari, Alcaei, Hesiodi, Theocriti, Anacreontis temporibus laurea serta aptanda componeret; sive ludorum recordatione, qui apud Grajos primum, dein apud Romanos viguerunt, auditorum animos mirifice delectaret; sive quid poetam efficiat, quamque arduum ac periculi hujus sit munus, ac par gloria et fama demonstraret; sive demum quam incolimus telluris amplitudinem, amoenitatem, juga, nemora, valles, maria, flumina, fontes dulcisonis versibus concineret (10).

At cum octavus volveret annus supra decimum (11) ex quo magisterii litterarii gloria Monicus maxime florebat, aeterno decreto suo Deus constituerat, ut sapientia, opera ac consilio Ipse Ecclesiae prodesset suae, ejusque columen, decus ac praesidium fieret. Quemadmodum vero opifices profundum

jubent poni fundamentum, si forte aedificium sit erigendum, quod altitudine sua, atque ipsa elegantia structurae intuentium oculos in se sit conversurum; haud secus, Auditores, sapientissimum Numen quos novit in posterum ad maximas dignitates fore provehendos, a minimis atque humilioribus officiis vult exordiri. Desinat ergo quisque vestrum mirari eximium virum de hoc bonarum artium domicilio, deque studiis nostris praeclare meritum, atque hinc brevi discessurum, non magnificam curiam ipso loci situ, opibusque florentem consecutum fuisse, sed solitariam Paroeciam ad S. Viti apud Asylum, ubi Eum commune illius municipii studium ac votum vehementissime postulabat. Is scilicet *qui ponit humiles in sublime* D. O. M, incomparabili hominis modestiae favere voluit, ut ruri delitescens, ipsoque virtutis suae splendore se prodens, vel repugnans et invitus ad honores summos viam sibi communiret.

I felix, Vir egregie, quo humilitatis, sapientiae ac solitudinis amor Te pertrahit, ipsaque proximae patriae ac parentum charitas potentioribus te stimulis impellit. Pastorali muneri assuesce, oppidanorum consule utilitati, Dei gloriae, ut semper consuevisti, magnopere stude; ampliora brevi relaturus praemia meritorum. Hoc nimirum communi ominantur consensione Seminarienses, de discessu Tuo moerentissimi. Hoc cives praedicunt Tarvisini qui Tua admirati sunt facta praeclara. Hoc provincia nostra eo certius praesentit futurum, quo magis omnibus est exploratum, doctrinam ac pietatem, fraterno junctas foedere, animum Tuum sic exornare, ut quantum culti emines laude ingenii, tantum morum integritate ac suavitate excellas.

Etsi, Auditores, eae intellectus humani dotes, judicium scilicet, ratiocinandi vis, memoria, gustus optimus, aliaeque id genus, quae ad doctrinam sapientiamque tum comparandam, tum suo quasi in lumine ponendam maximo

adjumento esse solent, sua in litteraria republica laude non carent; attamen animi virtutes, quibus homo rectus efficitur ac bonus, longe majorem nobilioremque postulant laudationem: quippe cum quisquis iis excellit, litteratis tantum viris se probet; qui vero his eminet, Dei amorem aeternamque felicitatem consequatur. Ut vero unicuique pateat minimi faciendam esse doctrinam si forte sit a bonitate sejuncta, hoc in aureo suo de Officiis libro, gravissima Platonis adhibita auctoritate, cunctos monitos voluit Cicero, quod *scientia, quae est remota a justitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda.* (De Officiis. Lib. I. §. 19.)

Quapropter quamvis ea omnia, quae in Monico hactenus commemoravi, prudentum virorum judicio, ingentia sunt, justisque laudibus celebranda; nihilo tamen secius haec ingenii decora non admodum in Eo extollenda arbitrarer, nisi haec eximiis etiam virtutibus cumulasset. Cumque certum sit lauros doctis frontibus debitas arescere brevi, nosque frustra atque adeo in exitium nostrum vivere, nisi Deo uni vivimus, ejusque gloriae; eapropter velim ut Monici exemplum studiosae praesertim suadeat juventuti, vere laudabilem ac magnopere fructuosam esse doctrinam, si alas praebeat ac vires efficacissimas, quibus homo adjutus, ad cognoscendum diligendumque bonorum omnium auctorem ac principium felicius assurgat. Hoc Monicus praestitit duplici laude dignissimus, quod ad divini Praeceptoris exemplum, opere primum, deinde sermone christianae profuit reipublicae. Cum primum itaque creditam sibi curiam ingressus est, oppidanosque suos coepit moderari, regimen sacrum ab laudabilis vitae instituto auspicatus fuit, ut Pauli verbis verissime dicere posset: *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* (Philip. 3.) Hoc vero minime consequutus esset, nisi universorum actuum ejus moderatrix fuisset, quae altissimas in Ejus animo fixerat radices, bonorum omnium

parens, virtutum altrix, magistra disciplinae, divina Christi religio. Quis enim Eo in Deum religiosior? quis in seipsum continentior? quis in ceteros officiosior? Acervatim, Auditores, commemoro quae si tempus sineret, sigillatim ac propriis laudibus essent celebranda.

Utque ab religione exordiar, quae cum ceterarum virtutum quae ad mores spectant, radix sit atque origo, integerrimos efficit mores, vitamque intaminatam (ita ut Deo ac Superis placeat); quodnam, quaeso vos, praeconium excogitari potest, Monici meritis omnino par? Quis unquam fuit qui in ejus vitae rationem paullo attentius inspiciens, ad res divinas debito honore prosequendas non accenderetur? Monitus scilicet Ipse a parentibus, qui moribus fuerunt antiquis ac spectatissimis, finem homini propositum hunc esse, ut Deum suum colat, diligat, vereatur; nihil habuit potius vel a puero, quam ut religionis amore semper emineret. Quis dicere possit quo cordis affectu ad preces incumberet! quam gravem, pium, venerabundum se exhiberet sive sacris operaretur, sive Sacramenta ministraret, sive ritibus ab Ecclesia catholica praescriptis aeternum rerum omnium conditorem veneraretur! quam vigil esset ne quis templi sanctitatem contaminaret! quam acriter commotus appareret, si forte populi corruptelis vitiisque Deum offensum fuisse cognosceret! Hinc ea proficiscebatur pastoralis sollicitudo, qua inflammatus subditam sibi cohortabatur plebem, ut a criminibus caveret, labes animi mundaret, atque anteactae vitae dolore veniam obtineret. Hinc sedulitas merito laudanda, qua aegris aderat ut praesentis monitoris subsidio divinae acquiescerent voluntati, morborumque acerbitatem libentius tolerarent. Hinc charitas vere paterna qua confitentibus aures praebebat, opportunisque consiliis ac remediis adhibitis, in viam unde deflexerant, revocabat.

Jam vero ut ad illud veniam, quod veram Monici imaginem intuentibus exhibet, ejusque virtutem suis adumbrat coloribus; quis in seipsum Eo fuit

continentior? Nullum est voluptatis genus, quod Ipse ab adolescentia non vicerit, domuerit ac strenue profligarit. Quamvis enim, ut eximium decebat musarum cultorem, animo semper fuerit suavissimo atque ad affectus quosque in se excitandos alendosque parato; ea tamen semper fuit continentia, ut omnium ore praedicaretur. Integer vitae, ac cujuslibet labis expers, vel ipsum licentiae nomen exhorruit; nullumque unquam passus est e calamo sibi versum excidere, unde in auditorum animis affectus gigni posset minus rectus, vel morum innocentiae aliquid detrimenti aut periculi pararetur. Eximium sane exemplum, ac maxime dignum, quod litterati viri in carminibus conscribendis eo diligentius imitentur, quo potior probitatis quam culturae solicitudo singulis esse debet! Quae vero continentiae pars in gloriae cupiditate coercenda sita est, haec adeo MONICO cordi fuit, ut ejus praecipua virtus visa sit. Aliorum itaque partes sint laudibus efferre admirabilem Ejus doctrinam, famam nominis praeclaris operibus sibi partam, spectatissimam vitae innocentiam, summas ab Eo dignitates adeptas; mihi contra ipsa sua forma spectabilis occurrit atque menti obversatur insignis modestia, humilitas, animique moderatio semper sibi constans; quam nulli litterarii plausus, nulla virorum principum benevolentia, nulli honores amplissimi non modo labefactare, sed ne imminuere quidem unquam potuerunt. Et sane incredibile videtur, Auditores, hominem reperiri, de cujus meritis doctissimi quique tot ac tanta magnifice dixerint; cujus orationes ac versus litteraria respublica maximi fecerit; quem collegae seminarienses et exteri adeo probaverint; quem Pontifices Maximi ac Reges potentissimi summis dignum honoribus judicarint; cui vel ipsa invidia pepercerit; incredibile, inquam, videtur ea semper esse humilitate, nil ut sibi tribuat, numquam se extollat, numquam de laudibus suis glorietur. Quod si jure Divo visa est Bernardo rara admodum in terris, ac prodigio prope similis *humilitas honorata,* quippe cum vix

fieri possit ut vir sua clarus virtute, auctus honoribus, plurimi habitus a viris nobilissimis sibi quandoque non plaudat, deque suo non laetetur triumpho; quis vestrum non videt ejus continentiae, humilitatisque, qua MONICUS semper eminuit, unam fuisse causam foecundamque radicem, christianam scilicet religionem, quae qualibet philosophia longe potentior, jubet hominem semetipsum agnoscere, eam quam a natura sortitus est paupertatem modeste fateri, ingenium vero, doctrinam, eruditionem, ceteraque bona uni Deo omnium rerum largitori accepta referre? Sic fit, Auditores, ut dum ii quos *scientia inflat*, verissima sui abjecta cognitione, insolenti quodam tument fastu, suis delectantur laudibus, reliquos autem superbe despiciunt; illi contra, quos *charitas aedificat*, suoque igni inflammat, seipsos omnium minimos existiment, ac praedicent, viros honore dignos quo par est obsequio prosequantur, neminem demum, ut ut rudem, miserum, hebetem, indoctum audeant aspernari.

At cum virtutes communi inter se, ac prope necessario vinculo connexae sint; ideo contingit ut qui minimum sibi tribuit, in ceteros officiosissimus et habeatur et sit: ita ut vel si eximia honestetur dignitate, eosdem servet mores, eumdem animi habitum, eamdem benignitatem. Quo in numero quis MONICUM non magnopere celebrandum arbitretur? Nemo sane officiosior Eo, qui vultu, ore, dulci sermone, sincero cordis affectu singulos quosque humanissime excipere, honorifice habere, ac peculiaribus benevolentiae significationibus sibi demereri ac devincire consuevit. Ille porro qui litteratorum virorum clarorumque civium consuetudine floruerat; quandonam, quaeso vos, minus facilis, benignus et comis visus fuit? Hanc ejus virtutem non importunae interpellatorum preces, non rusticarum gentium necessitates, non adeuntium frequentia ullo unquam tempore imminuere potuerunt. Patiens usque, mitis, modestus, officiosus omnes audire, libenter cum iis colloqui, eorum causae patrocinari, ad injucunda ac minima interdum descendere:

ut merito dubium videri potuerit, doctiorne, an benignior ille foret. At longe majora in Illo sunt, quae suis modo laudibus oportet praedicari. Nam si quis est qui sublimissimas adeptus dignitates, earumque fulgore excellens ita se gerat, ut nil praeter habitum immutasse videatur; veterem vero sibique domesticam morum facilitatem, atque humanitatem cum omnibus servandam sibi arbitretur; hunc ego non aliquem ex hominibus, sed unum (prope dixerim) e Superis in terras delapsum ut admirationi et exemplo sit, verissime judico. Jam vero ad memoriam revocate, Auditores, qualem ante paucos dies MONICUM vidimus, vultus hilaritudine sui civitatem hanc universam mirifice recreantem. Numquid Romanae splendor purpurae, qua modo incedit spectabilis, Ipsum prohibuit, ne, ut antea, humanissimum se exhiberet, benignum, officiosum? Quae in vultu comitas! Quae in verbis suavitas! Quae in actibus dignitas cum modestia conjuncta! Quod dum considero (considero autem saepissime) jam mihi videor in hoc Viro cernere quod egregie more suo docuit Tullius: *Praeclara est aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons, ut de Socrate accepimus.* (De Officiis Lib. I. c. 26)

Cum vero ad posterorum exemplum tum in Deum religiosus, tum continens in seipsum, tum in quoslibet officiosus MONICUS foret; facile est conjicere, Auditores, quo successu ad oppidanos suos pro munere pastorali verba haberet ac finem christiano oratori propositum, morum scilicet correctionem, cumulatissime assequeretur. Nemo etsi disertissimus, apte describere posset quo admirationis, atque adeo pietatis sensu oppidani illi afficerentur, dum audirent curionem suum loquentem ea sermonis facilitate, quam difficillimam Quintilianus appellavit: ut scilicet rudibus obvius ac perspicuus; doctis vero probabilis et jucundus esset. Videbant enim saepenumero pastorem suum densa septum in Templo doctorum hominum frequentia, qui ex proximis pagis et oppidis eo conveniebant ut MONICUM concionantem audirent, vel

christianae catechesi vacantem. Quo audito, jure dicere solebant: Itane modo loquitur, rudiumque sic consulit necessitati, qui sapientia ac facundia plurimum valet, ac plausibus semper exceptus fuit dum in Academiis ad litteratos viros sermonem haberet! O felicem, fortunatamque Paroeciam, quam talis pastor moderatur!

Quartum jam annum in hoc regimine MONICUS exegerat, cum maxime obstabat ne ruri diutius Ipse delitescere posset meritorum nempe Ejusdem splendor, qui Eum vel invitum ubique praedicabant; quo factum fuit ut ab Imperatore Francisco Primo Ipse Cenetensis Episcopus renuntiaretur (12). Cujus rei cum fama percrebuisset, universa civitas Tarvisina, suis prope convulsa sedibus, ad Eum certatim convolare, Imperatori plaudere, Ipsi gratulari, fausta quaeque ac prospera Dioecesi illi ominari. Cum vero majore auctus sacerdotio, ad designatam sibi cathedram proficisceretur; quis satis apte referre queat quo gaudio cives nostri, potissimum vero Seminarienses, beneficiorum memores, affecti fuerint, quave laetitiae et amoris significatione Eumdem suis quasi manibus in illam Sedem collocarint, quam Ipsi ne cogitanti quidem, nedum speranti patere voluit Numinis aeterni consilium! Quod si temporis angustiae paterentur ut singula quaeque dicendo persequi possem, nec hora fugiente omnino deberem multa penitus praeterire, aliqua strictim ac breviter enumerare, quae reliqua sunt paucis referre; quisque vestrum facile cognosceret quantam potuerit MONICUS laude vitae innocenter actae, splendore doctrinae, prudentia regiminis injicere admirationem sui Dioecesi Cenetensi totius triennii spatio, quo Ipsi praefuit.

Quis porro vere sapiens ignorat, homines ad grandia natos ea celeritate propositum sibi curriculum conficere, ut uno perfuncti officio ad aliud statim convolent, et, ut prophetae verbis utar, *exultent quasi gigas ad currendam viam?* Hoc accidit in MONICO, qui cum sorte contentus sua, Cenetenses sibi devinctos paterno amore prosequeretur; cognovit, Se, discedente Venetiis

Joanne Ladislao Pyrkerio, Viro gravissimo, in ejus locum suffectum esse, ac Patriarcham et Metropoliten Veneti Regni renuntiatum fuisse (13). Quam novam dignitatem, sane conspicuam atque amplissimam, Caesar regiae etiam suae benevolentiae significationibus cumulatam sic voluit, ut brevi annorum spatio interjecto, Eumdem decreverit esse Sibi a penitioribus consiliis, ingenti omnium ordinum gratulatione ac plausu. (14)

Tuum modo sit, Vir egregie, ex ea cathedra quam Divus Laurentius Justinianus, ubique clarissimus, exornavit, in utilitatem Venetae Ecclesiae eos recludere doctrinae ac pietatis fontes, quorum in Te est origo, unde aquae dimanant Christi fidelibus profuturae. Sentiat Veneta gens, penes quam jamdiu floruit multosque per annos eloquentia dominata est, pastorem esse sibi, quo loquente, aurea Chrysostomi ac Basilii tempora prope reviviscere videntur. Sentiant Sacerdotes se ab illo regi Praesule amplissimo, qui forma gregis factus ex animo, ad sacrorum canonum normam mores Ecclesiasticorum componere novit. Sentiat Seminarium se ducem nactum esse, quo praeeunte, res litteraria plurimum capiet utilitatis. Sentiant egeni, orphani, viduae, derelicti munificae dexterae largitatem. Jam video Urbem Romam, totius orbis terrae principem, oculos ad te convertentem suos, atque ad decus Tuum novum molientem honoris augmentum. (15)

Et sane dum MONICUS commissam sibi Ecclesiam sic moderaretur, ut suis exemplo, ceteris Episcopis admirationi esset, *Is qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, ad Romanam Petri Cathedram evexit Gregorium Pontificem XVI, fama sapientiae, laude pietatis, gloria prudentiae vere Maximum. Hic doctorum virorum amantissimus, quippe qui cum iis semper sit versatus, eosque vel ab regiminis sui exordio amplissimis solitus donare praemiis, de MONICO ornando atque ad Apostolicum Patrum Card. Collegium promovendum, statim cogitavit. Cum porro de hoc Collegio

loquor, Auditores, Senatum illum intelligo ex Patribus conflatum toto terrarum orbe majorum gloria, doctrinae apparatu, sanctitatis splendore vere eminentissimis ac gravissimis; unde quotiescumque suo fuerit Romana Ecclesia viduata pastore Ille sumitur Pontifex ac moderator totius christianae reipublicae qui jure divino ac suprema clavium potestate tum immensam regit Christi familiam, tum singulos pastores; ubi Viri immortalitate digni semper floruerunt in facultate qualibet et disciplina vel Divinae Scripturae, vel Sacrae Theologiae, vel Jurisprudentiae canonicae, vel exterarum linguarum, vel Archaeologiae, Eruditionis, Historiae ecclesiasticae et profanae, vel litteraturae, vel Politices exercitatissimi; ubi usque viguit in consiliis capiundis prudentia, in quaestionibus dirimendis sapientia, in causis expediendis aequitas, in tuendo religionis honore virtus, robur, ac constantia. Cui Senatui adscribendos cum is tantum cognoscere, dijudicare atque eligere soleat Pontifex Maximus, falli nescius, qui in illa Urbe versatur grandibus rebus, eximiis, pretiosissimis assueta, ubi ea quae alibi splendescere possunt, quasi communia atque usitata vilescunt; hoc plane consequitur ut quicumque in illum cooptati fuerint, meritis praeclarissimis ditati et habeantur et sint. In hunc ergo Senatum IV. Kalendas Augusti hujus anni munificentia Gregorii XVI, non modo nostris, sed et Romanis plaudentibus, JACOBUM MONICUM Patriarcham Venetiarum, prae modestia (ut Ei mos semper fuit) trepidantem ac pertimescentem ideo cooptandum curavit, ut Eo adscripto, novus Fidei assertor, Ecclesiae Catholicae columen, disciplinae ecclesiasticae defensor, Collegio Apostolico decus adjungeretur. Haec scilicet, Auditores, communis laetitiae, gaudii seminariensis, exultationis uniuscujusque nostrum causa est potissima: quippe cum merito confidamus in Eminentissimo JACOBO MONICO, cujus pietatem plane perspectam habemus, Patronum ac Patrem nos esse habituros. (16)

Videte, Juvenes optimi, qui mihi adestis dicenti, quo sapientia, virtus, bonarum litterarum amor cum eximia pietate conjunctus hominem praeclare meritum perducere possit. Hoc assidue exemplum intueminor; hoc imitari pro viribus contendite; hoc ante oculos vestros usque obversetur, ne vobis fortasse deesse videamini.

Tu vero, Princeps eminentissime ac reverendissime, domus hujus columen ac decus, pete faustis ominibus Urbem, ubi Pontifex Maximus, ubi Patres amplissimi, ubi litterati viri Te cernere, Te mirari, Tuoque frui colloquio concupiscunt. Dumque exceptus gremio urbis ceterarum omnium reginae, miracula artis, Basilicas, vias, collegia, seminaria cernes; hujus Tui memento veteris domicilii, ubi

Semper honos, nomenque Tuum, laudesque manebunt. (Eclog. V.)



ADNOTATIONES

quae Orationi inveniuntur additae ab ipso Auctore

(1) Eminentissimus ac Reverendissimus Jacobus Monicus honestis piisque parentibus natus est vi. Kal. Julias A. C. 1778. Resii, haud procul ab Oppido Castrifranci, a quo distat quatuor circiter millibus passuum, in provincia ac Dioecesi Tarvisina. Adhuc puer commissus fuit magisterio Curionum S. Viti apud Asylum, S. Fuscae V. M. de Altivolis, S. Martini de Sylveliis, quibus docentibus, didicit tum praecepta morum ad vitam recte instituendam, tum rudimenta prima latini sermonis.

(2) Annum agebat aetatis suae quintum supra decimum cum studiis Humanitatis operam daturus, Tarvisinum ingressus est Seminarium, auspice ac patrono illustrissimo et Reverendissimo Bernardino Marino tunc Antistite Dioecesis hujus.

(3) Laudabiliter confecto humaniorum litterarum curriculo, ad philosophicas et mathematicas incubuit disciplinas; qua exercitatione perfunctus, Theologiam audiit dogmaticam et moralem eo successu, ut anno 1800. potuerit theologicas quaestiones strenue propugnare.

(4) Hic placuit cursim eximia in Seminarium Tarvisinum merita commemorare Reverendissimi D. Antonii Pellizzari Canonici majoris Basilicae et studiorum Praefecti jam inde ab anno 1798. Hic Vir pietate ac doctrina clarissimus, Monici ingenium cognovit, probavit, jussitque collegio Professorum Seminariensium adscribi.

(5) Cum Monicus suum aggressus est litterarum magisterium, amoenissima Humanitatis studia a pristina dignitate defecerant in omnibus prope scholis ob nimium, qui late serpebat, novitatis amorem, ac veterum Scriptorum contemptum. Ipse in Seminario Tarvisino litteraturam ad illud, unde exciderat, decus revocavit, optimis studiosae juventuti exemplaribus propositis.

(6) Dum adhuc magisterio seminariensi fungeretur, in eloquentiae sacrae studiis plurimum versatus est cum laude. Diebus festis quadragesimae, quibus ab exercitatione docendi vacabat, conciones habuit probatissimas ad populum, praesertim ruri. Curiae suburbanae Narvisiae, S. Blasii de Calialta, Spresiani, aliaeque felicissimam ejus praedicationem nunc quoque commemorant. Tarvisii saepius auditus est magno cum plausu quoties Coelites ornata laudavit oratione. Publici juris est ea quam habuit in honorem B. Henrici de Bauzano Tarvisinorum patroni.

(7) Funebri parentavit oratione Sacris Manibus tum Illustrissimi et Reverendissimi Bernardini Marini Tarvisinorum Episcopi, tum Illustrissimi et Reverendissimi Vinciguerrae de Collalto Abbatis Narvisiae. Quae vero Possanei habita est in funere Antonii Canovae, Viri incomparabilis, maximam oratori peperit famam.

(8) Multa edita sunt carmina Monici, sane optima et elaborata: ita ut nullus ferme esset festus dies patrius, quo adventante, felicis hujus poetae versus desiderarentur.

(9) Athenaeum Tarvisinum id consilii ceperat, ut Libri XII. Æneidos P. Virgilii Maronis, duodecim sociorum suorum cura et studio ederentur Italice redditi eo metri genere, quo Torquatus Tassus usus est in celeberrimo suo poemate. Illud est cunctis exploratum, Cl. Monicum semper sibi parem exhibuisse in Itala interpretatione Libri IV. Æneidos, quae prostat in Volumine primo Actorum ejusdem Athenaei, typis edito Andreolianis.

(10) Quemadmodum Seminariis fere omnibus, ita et huic nostro mos semper fuit, ut, exeunte anno scholastico, Praeceptor Rethoricae litteratos viros teneret academica exercitatione, quae magna ex parte versibus constat varii metri. Monicus per annos novem in hoc munere obeundo sic se gessit, ut sibi ac Seminario ex ejus carminibus plurima facta fuerit honoris accessio. Praeclare autem cecinit de illis quae hic laudantur; ex hisce carminibus quaedam etiam edita fuerunt.

(11) Exeunte anno scholastico 1818, Tarvisino egressus Seminario, ubi annorum sex et viginti spatio commoratus fuerat, regimen Monicus iniit Paroeciae S. Viti apud Asylum, quam per annos quatuor circiter tenuit.

(12) Dum laudatam Paroeciam, cunctis plaudentibus, moderaretur, Imperatoris ac Regis nostri Francisci decreto renuntiatus fuit anno 1822. Episcopus Cenetensis. Accedente porro consensione Pii VII. Pontificis Maximi, episcopalem suscepit consecrationem v. Id. Novembr. anno 1823, Venetiis peractam ab Excellentissimo et Reverendissimo Joanne Ladislao Pyrkerio, tunc temporis Venetorum Patriarcha.

(13) Triennium Monicus exegerat in Cenetensi Episcopali regimine, cum eodem prorsus die (qui fuit ix. Kal. Decembres) quo regimen ipsum inierat, regiae ad Eum perlatae sunt litterae, quibus designabatur Patriarcha Venetiarum ac totius Regni Veneti Metropolita. Quod cum ratum habuisset Leo XII. Pontifex Maximus, ad Cathedram D. Laurentii Justiniani Monicum, canonico ritu servato, transferrendum curavit. Ad hanc, Ceneta digressus, se contulit vi. Id. Septembr. a. 1827.

(14) Ineunte anno 1831. Imperator ac Rex Franciscus jussit Monicum, nova auctum dignitate, Sibi esse a penitioribus consiliis, atque inter nobiliores ditionis suae viros recenseri.

(15) Sexto jam abhinc anno Monicus Venetam tenebat cathedram, cum Gregorius XVI. Pontifex Maximus, aequissimus meritorum extimator ac judex, et Venetae Ecclesiae multis nominibus devinctus, Ipsum ad Romanam Purpuram rite promovit iv. Kalendas Sext. a. 1833. Dignitatis amplissimae Suae insignibus (deferente, Pontificis jussu, Viro Clarissimo Antonio Traversio, Protonotario Apostolico, ac Praesule domestico) primum exornatus apparuit in Veneta Basilica D. Marci xvii. Kal. Oct., civitate universa plaudente, atque in obsequium Patriarchae sui effusa.

(16) Semirarienses Tarvisini ad memoriam sempiternam veteris Collegae, nunc vero Auspicis ac Patroni sui Jacobi Monici, inter Patres S. R. E. Cardinales nuper cooptati, marmoreum ejusdem Hermam a Veneto Sculptore Zandomeneghi elaboratum, in nobiliore ac magis conspicuo Seminarii loco collocandum curarunt. Quo vero die hoc accidit (qui fuit viii. Kal. Decembr.), iis factum est laetitiae significationibus, quae homines decebant pristini contubernii ac beneficiorum memores. Primum enim ad Basilicam Cathedralem Professores omnes convenerunt, ut augustissimo interessent Sacrificio, atque una cum Episcopo suo gratias agerent D. O. M. Postea vero ad Seminarium revertentes, atque in aula magna ejusdem hinc inde dispositi, mediumqne habentes Episcopum, huic adfuerunt latinam orationem habenti de laudibus Cardinalis Iacobi Monici; quam singuli provinciae magistratus, Ordo municipalis, ac militiae duces sua praesentia honestarunt. Postremo in publicae laetitiae argumentum exterior Seminarii frons, Ædes municipii, singulae Patrum Canonicorum domus, atque ipsum Episcopale domicilium plurimis cereis facibus accensis eminus spectabile, intuentium oculos in se convertebant. Haec autem omnia Episcopus, Seminarium, et universa civitas se omnino debere existimarunt Viro Eminentissimo et Reverendissimo, qui loci famam decusque mirifice auxit atque amplificavit laude doctrinae, integritate vitae, adeptarumque dignitatum splendore.

